reate et contigit duos fratres ad heremitorium grecij
de remotis venire ut virum dei cernerent et ben-
dictionem multo desideratam iam ipse reportarent.
Venientes autem et non invenientes, quia de publico
iam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce
recedentibus illis, cum de ipsorum adventu vel recessu
nichil secundum humanum sensum percipere potuisset,
preter solitum morem egressus e cella clamavit post
eos et ipsos iuxta quod optaverant signo crucis
sancto in christi nomine benedixit. Duo fratres venerunt aliquan-
do de terra laboris, quorum antiquior nonnulla intu-
lit scandala iuniori. Cum autem pervenissent ad
patrem, quesivit ille a iuniore qualiter erga ipsum
se frater socius habuisset in via. Respondente utique
satis bene, subiunxit: Cave frater, ne sub humi-
litatis specie menciaris. Scio enim, scio, sed expec-
ta modicum et videbis. Miratur per plurimum
frater quomodo tam absentia per spiritum cognovis-
set. Igitur non post multos dies contempta religio-
ne foras egreditur qui scandalum fecerat fratri
et a patre non petiverat veniam nec correctio-
nis debitam receperat disciplinam. Simulque du